DE OLEO JECORIS ASELLI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHARMACOLOGICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

BARNIMUS FELIX WILHELMI
SEDINENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. LAUDE, MED. ET CHIR. DR.
F. SALAND, MED. ET CHIR. CAND.
R. SCHERFF, PHARMAC. I. ORDIN.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν, εἰδότες οὐδέν·

THEOGNIS.

— Id arbitror
Adprime in vita esse utile, ne quid nimis.

TERENT.

MAURITIO HENRICO ROMBERG

MEDICO

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

SUMMA QUA PAR EST PIETATE AD TUMULUM USQUE VENERANDO

NEC NON

VIRIS

EXPERIENTISSIMIS, ORNATISSIMIS, HUMANISSIMIS

LEVY MOSER,

MED. ET CHIR. DR., MEDICO PRACTICO, CHIRURGO ET OBSTETRICATORI DOCTISSIMO,

HENRICO TUETZSCHER,

PHARMACOPOLAE PRIMI ORDINIS BENE MERITO

APUD GRYPHINDAGINENSES

AMICIS PATERNIS DILECTISSIMIS

ET FAUTORIBUS BENEVOLIS

MAXIMILIANO JORDAN,

DOCTO PRIVATO APUD BEROLINENSES, PHARMACEUTAE I. ORDIN. SPECTATO

AMICO, PRAECEPTORI, BENEFICO

HASCE

QUALESCUNQUE PRIMITIAS

STUDIORUM ACADEMICORUM

MONUMENTUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

LECTURIS S.

De oleo jecoris Aselli disserturus sum. Non dubito, quin peculiaris libellus de quadam re sat elaborata permultis superfluus videatur, quibus adversarius contendam, nobis re vera efficax hujusce crebrius adhibiti medicaminis nondum omnino cognitum esse, negans quidem praesenti scientiae statui convenire, quod satis habeamus, si effectus nominatur „specificus", quoniam optandum, ut tempora remediorum specificorum mox omnino praetereant; praesertim quum hocce remedium, etsi est usitatissimum, permultis vix circa ea quae pertinent ad originem, accuratius innotuerit. Praeterea constat, multas disputationes de oleo jecoris Aselli in diversissimis libris scriptisque dispersas esse. Compendia quoque materiae medicae naturam, virtutes vitiaque hujus pharmaci etiam atque etiam copiosissime docent, attamen quo sit efficax, ex iisdem discere haud possumus, quippe quod uti de permultis medicamentis aliis adhuc prorsum ignotum sit. Sententiae, quam praecipue de coëfficientibus elementis prolaturus sum, nullus auctor adhuc intercessor est; explorandam vero viris expertis propono. Etiamsi falsa reperiatur et confutetur, meum tamen opusculum non aberraverit a proposito, siquidem tali modo ad id,

quod attinet rem, propius accedimus; certe meum fuerit, hancce rem excitasse atque ad eam accuratius perscrutandam ansam dedisse.

Nihilominus propositum meum argumentum probetur; etenim praestat, paululum conferre ad historiam alicujus pharmaci momenti majoris, quam librum amplissimum de re quadam supervacanea vel jamdudum satis superque elaborata componere.

De aliquo argumento scribere materiae medicae, cui imprimis operam dedi et quae rarius tractatur dissertationibus inauguralibus, semper mihi in mente erat. Sin accuratius hujus disciplinae studium amantes hunc agrum arare nolunt, nefas est; ii enim, quibus materia medica exile solum et macrum videtur esse, de ea tantum modo laborant, quantum a therapia speciali dissolvi nequit.

Lubentissime autem majora melioraque praestitissem, vitia enim commentationis meae haud sunt ignotae mihi. Sed res externae mihi non favent; insuper urgent temporis angustiae et mihi hoc maxime curae est, ne immaturus forte excidat foetulus. Vos igitur, lectores, si qui estis, ut hanc qualemcunque dissertatiunculam, in quam Horatianum illud „nonum prematur in annum", non quadrat, quippe quam festinans hoc consilio conscripsi, ut academicis legibus satisfacerem, indulgenter ac benevole excipiatis, enixe rogo.

I. HISTORIA.

Oleum jecoris Aselli praesertim ex hepatibus piscium generis „Gadus" colligitur, quod genus ditissimum est speciebus. Nomine *γάδος* primus utitur Athenaeus (p. 135. F.), id quod significat piscem, quem Graeci alias *τὸν ὄνον* appellabant et Romani Asellum (Varr. et Plin.), qui in epulis Romanis cupedium erat jucundum, unde proverbium: „post asellum diaria non sumo." (Petron. 24. extr.)

GADUS. Pisces Malacopterygii, Subbranchiales. Corpus laeve, membr. branch. rad. 7 teretibus, pinnae cute communi vestitae, pectorales acuminatae.

Species in maribus borealibus habitantes veteribus erant ignotae. Plinius duas modo species cognovit, Linnaeus septemdecim, Blochius vel viginti tres enumerat, contra quos Cuvier octo tantum species agnoscit.

Pisces degunt in maribus Atlantico, Germanico, Baltico, Mediterraneo; nunquam fluvios ineunt, licet auctore Mac-Culloch salvi in iis vivere possint.

Jecur omnium specierum permagnum et valde pingue est, quapropter omnes ad oleum praeparandum aptae sunt; attamen nonnullarum corpus minutius est, nonnullae

sunt remotiores, ut fere omnino inutiles sint. Igitur eae tantum species plerumque adhibentur, quas paulo post nominabo. Sunt imprimis ii pisces hujus generis, qui ad littora Franciae, Angliae, Norvegiae, Sueciae, Daniae, Pomeraniae degunt, interque eos praecipue Gadus Morrhua, Molva, Callarias, Carbonarius et Pollachius. Qui omnes sunt voracissimi. E ventriculo callariae ped. 1. poll. 3 longi noctu in mari Baltico capti septem parvos flesos, duas pullas anguillas, harengum tres pollices longum et complures palaemones squillas, quarum unam plane incolumem adhuc conservo, collegi. Tales epulae nempe pinguissimum jecur reddere possunt.

Ichthyologiae est singulas species accuratius describere, hic modo differentiae generales indicari possunt.

Gadus Morrhua L. Asellus major, Kabeljau, Steinfisch, Ital. Boccaljao, Franc. la Morue, Angl. the cod-fish. G. tripterygius cirratus, cauda subaequali, radio primo anali spinoso. Icones: Brandt et Ratzeburg, Med. Zool. T. 2. Tab. 9. Fig. 3. Bloch, tab. 54.

Habitat in maribus borealibus. Longitudinem ad quinque pedes usque adipiscitur, nec raro pondere librarum octoginta invenitur. Caput est permagnum, compressum, cum ore amplissimo; ventriculus magnus et crassus, hepar trilobatum, valde oleosum. Anus ori propior quam caudae. Ad littora Franciae, Angliae et Norvegiae creberrime capitur. A visceribus liberatus, capite desecto et siccatus „*Stockfisch*" nominatur. Sale conditus „*Laberdan*" appellatur, cui solis radiis exsiccato nomen „*Klippfisch*" est.

Secundum pharmacopoeam Borussicam modo oleum jecoris hujus piscis adhiberi debet, quod e Norvegia,

praecipue Bergis, accipimus. Attamen ibi jam varia olei genera miscentur. Postea plura hac de re enarrabo.

Gadus Molva. L. Leng, Asellus longus. G. supra olivaceus, subtus argenteus, maxilla superiore prominente, duabus pinnis dorsalibus. Longissimus et tenuissimus hujus generis. Longitudo saepe 5′ superat.

Habitat praesertim in mari Germanico. Imprimis in oris Angliae et Norvegiae capitur. Bergis solis 900,000 librae per annum dimittuntur.

Gadus Callarias L. Dorsch, Norveg: Torsk G. tripterygius cirratus rarius, cauda integra, maxilla superiore longiore. Icones: Brandt et Ratzeb. Med. Zool. T. 2. Tab. 9. Fig. 2. Bloch, Tab. 63.

In maribus Germanico et Baltico frequentissimus. Cupedium ad oram habitantium. Saepissimae in Norvegia ad oleum praeparandum adhibetur testibus Konow Bergensi et fratribus Mack Tromsoeensibus. In piscatu Lofodinensi (in Norveg.) fere hic piscis solus excipitur.

Gadus carbonarius Bloch. Koehler, Kohlfisch, Norveg. Sey s. Seij, 3′ longus. Iconem exhibent Brandt et Ratzeburg l. c. T. 2. Tab. 9. Fig. *s.* Idem saepissime ad oras Sueciae et Norvegiae capitur atque narrantibus illis viris crebro ad excoquendum oleum adhibetur. Attamen parcum praebet lucrum, quandoquidem seniorum piscium hepata tenuia et tenacia esse dicuntur.

Gadus Aeglefinus L. Schellfisch, Angl. the hadock. G. tripterygius cirratus albicans, cauda biloba, maxilla superiore longiore. Iconem dat Bloch, Tab. 62. Mortuus valde et perdiu phosphorescit.

Gadus Merlangus. Witling, Gadde, Franc. le merlan, Angl. the Whiting. Imberbis albus, maxilla superiore

longiore. Icon ap. Bloch, Tab. 65. Uterque in maribus Europaeis.

Gadus Pollachius. Hankjering. (Norveg.) Auctore de Jongh crebro in piscatoriis Norvegicis capitur et impenditur.

Praeter oleum jecoris e Gadi speciebus oleum ex hepatibus Rajae specierum nonnullarum eliquatione paratum collaudatur, verum raro ad nos venit, sed in Francia adhibetur, ubi aegroti ab oleo gadorum abhorrent. Mouchon omnino dubitat, quin oleum jecoris Aselli verum in Francogallia vendatur. Oleo Rajae imprimis in Francogallia boreali et in Belgia utuntur, in quod parandum impenduntur duae Rajae species.

RAJA, Roche, Franc. la Raie, Angl. the ray. Spiracula branchialia quinque subtus collum, corpus degressum, os sub capite.

Raja Batis. Glattroche, Flete, Tepel, Franc. la raie lisse, Angl: the skate, flair. R. varia dorso medio glabro, cauda unico aculeorum ordine. Longitudine et latitudine usque ad 10 ped.

Raja clavata, Nagelroche. R. supra fuscescens, subtus alba, singulis ovatis clypeis osseis, dorso multis oculeis clavatis Longit. usque ad 12 ped.

Habitant in mari Atlantico, mire formatae sunt, plerumque in profundo maris degunt, pauca, sed majora ova pariunt, quorum testae coriaceae olim nomine *murium marinorum* in officinis usitatae fuerunt. Crebro in littoribus Franciae, Belgiae, Hiberniae, Angliae ad procreandum jecoris oleum capiuntur. Caro piscium editur.

De praeparatione olei e jecoribus. Paratur oleum

tali modo: post piscationem finitam jecora in receptaculum proprium injiciuntur et solis radiis exponuntur, quomodo liquor elicitur flavescens oleosus, olei papaveris haud dissimilis, odoris debilis harengorum similis, fere insipidus, cui nomen est, *oleum jecoris Aselli flavum s. flavescens, hellblanker Thran, Gichtthran,* quod secundum pharmacopoeam Borussicam in officinis nostris solum praesto esse debet. — Post insolationem olei modo dicti residuum in putredinem transire mox incipit, qua denuo quantitas olei effluit coloris fusci, odoris fortioris ingratioris, saporis subrancidi, cui nomen *olei jecoris Aselli fuscescentis s. fusci, braunblanker Thran.* Residuum denique in lebetibus ferreis cum aqua fontana excoquitur, unde oleum accipitur coloris obscure fusci, saporis et odoris rancidi, valde ingrati cui nomen est: *oleum jecoris Aselli empyreumaticum, brauner Thran.* — Haud verisimile, e residuo assando oleum elici sine addita aqua, uti interdum narratur.

Ista tria olei genera e Norvegia nobis admittuntur, quamobrem oleum jecoris Aselli Bergense appellantur.

De praeparatione olei Rajae. Preifser, professor Rouensis, haecce dicit:

„Der Rochen-Leberthran wird zwar neuerdings immer mehr angewendet, besonders weil er viel besser von den Kranken genommen wird als der gewöhnliche Leberthran; er wird aber bis jetzt von den Apothekern Nord-Frankreichs und insbesondere Rouen's nur selbst hereitet, indem man sich frische Rajen kauft und die Lebern mit Wasser auskocht. Vorrath wird selten in gröfserer Quantität bereitet und daher ist diese Sorte auch wohl nicht im Handel. Für Orte, welche weiter vom Meere liegen,

paſst freilich jene Weise nicht und man muſs sich den fertigen Thran zu verschaffen suchen.

Porro hac de re sequentem notitiam reperi:

„Auf eine in Betreff des Rochenleberthrans nach Amsterdam geschehene Anfrage erhielt man von einem dortigen achtbaren Hause folgende Antwort:

„Wir haben uns mehrseitig danach erkundigt, er ist hier aber weder im Gebrauche, noch zu haben. Es wird hier zwar bisweilen eine Sorte Thran angebracht, den die Norweger Rochenthran nennen, weil er aus dem Rogen, der Leber und den übrigen Eingeweiden der Stockfische bereitet wird, also bei Weitem nicht so rein ist als gewöhnlicher bloſs aus der Leber verfertigter Thran und also immer 1 fr. à 1 ½ fr. pr. Tonne billiger verkauft wird. Aus der Leber des Raja oder Rochen bereiteter Thran ist hier aber noch nicht vorgekommen."

Attamen Gouzée confirmat, Antverpiae oleum Rajae ex hepatibus *Rajae Pastinacae* (Pylstart, Stechrochen) eliquatione per solem parari. Oleum Rajae etiam in Hibernia jamdudum medicamentum domesticum est auctore Bennet.

In Scotia et Hibernia omne oleum jecoris excoctione hepatum paratur, et Donovan nonnisi hanc methodum adipiscendi oleum adhiberi et paratum per linteum colari, tum per chartam bibulam filtrari vult. Tali modo unum modo genus semper aequale acciperetur.

De proprietate olei generali et de discrimine olei Rajae et adipis Ceti. Est oleum pingue, pellucidum, coloris flavi vel aurantiaci vel fusci, odoris piscini, harengis similis, saporis subnauscosi, plerumque subrancidi, pond. specif. = 0,920 circiter. Si oleo je-

coris Aselli puro acidum nitricum guttatim additur, quaeque gutta statim circumdatur halone rubente, qui non ita multo post pulchrum colorem roseum assumit. Si oleum j. A. purum cum dimidia miscetur parte adipis Ceti, liquor acido nitrico addito subturbidus redditur; adeps ceti purus addito acido nitrico nec rubescit, nec turbatur. Boudard primus hoc experimentum docuit.

Mouchon discrimen inter varia Aselli olea (quae Francogallici aversantur) et inter adipem Ceti bonum negat, quem solum ad usum internum proponit, quia ob minus ejus pretium haud sit timendum, ne inquinetur et adulteretur. Quid plura?

Chlorum celerrime oleum jecoris Aselli badium reddit, odorem quoque ipsius delet, dum color et odor olei Rajae chloro haud mutantur; in oleo Rajae vero secrètio substantiae albae adhuc memorandae acceleratur. Addito acido sulphurico oleum Aselli statim denigratur, oleum Rajae contra candicans e rubro tingitur et quassatione obscure violaceum redditur. Acido nitrico oleum Rajae non immutatur.

Oleum Rajae est liquor flavescens, odoris adipis Ceti, pond. specif. = 0,928; chartam exploratoriam non rubefacit; post aliquod tempus substantiam albam densam (Stearine), nondum accuratius exploratam deponit. Si filtratur, denuo quater quinquiesve sedimentum album oritur, quo facto oleum multo minus olet. Substantia similis ex adipe Ceti deponitur, de qua postea agam. Centum partes spiritus vini 89% in temperat. + 10° olei Rajae 1,5 partes, in temperat. + 100° partes 14,5 solvunt. Aethere bulliente octoginta octo partes olei solvuntur, cujus maxima pars post refrigerationem rursum secernitur.

De variis olei jecoris Aselli speciebus. Quamdiu remedium novum erat, tam diu eo in officinis et mercium horreis multa ineptiebantur. Namque

Laudat venales qui vult extrudere merces (Horat.).

Numerus specierum crescebat in dies; distinguebantur olea jecoris Aselli albissimum, album, flavescens, flavum, fuscescens, flavo-fuscum, fuscum, fuscissimum, alia. Quae sunt distinctiones omni pretio carentes et merae nugae. Tres eae species, quarum jam supra mentionem feci, jure separari possunt. Sunt eaedem, quae jam de Jongh discrevit.

Oleum jecoris Aselli flavum, coloris aurei, odoris haud ingrati, soporis piscini, haud amari, sed fauces paullulum irritantis, chartam exploratoriam coeruleam leviter rubefaciens, pond. specif. = 0,923 (in temp. 17,5° C.). In alcohole frigido solvuntur 2,5—2,7%, in fervido 3,5—4,5%. In aethere prorsus solubile.

Oleum jecoris fuscum, colore vino Malacensi similis, odoris haud ingratissimi, saporis piscini amaricantis, fauces flavo plus irritantis, chartam exploratoriam coeruleam leviter rubefaciens, pond spec. = 0,924 (in temp. 17,5° C.). In alcohole frigido solvuntur 2,8—3,2%, in fervido 6,5—6,8 p. c. Aethere plane solubile.

Oleum jecoris fuscum empyreumaticum. Coloris obscure fusci in luce pellucente virescentis, in stratis teneris pellucidum, odoris injucundi empyreumatici, saporis amari empyreumatici, fauces valde irritantis, chartam exploratoriam coeruleam leviter rubefaciens, pond. spec. = 0,929 (17,5° C.). Alcohol frigidus solvit 5,9—6,5%, fervens 6,5—6,9 p. c. solutione limpida. Aether quan tum vis solvit.

Monendum est, ne *oleum jecoris Aselli album* adhibeatur. Venditur quidem rarissime oleum album inodorum saporis blandi, quod nullo modo oleo flavo praeferendum. Plerumque autem oleum ope Chlori album redditum est, itaque insuave, inefficax et invalidum. Quamobrem jam Meebold de hac specie praemonuit.

Liquores usitati oleo jecoris Aselli similes. *Oleum seu liquor mustelae fluviatilis hepatis.* Paratur ex hepate Gadi Lotae s. Mustelae fluviatilis.

Gadus Lota L. Quappe, Drusche, Aalraupe, Franc. la lote, Angl. the barbot. Unica Gadorum species, quae non in maribus degit. Dipterygius cirratus maxillis aequalibus. Longitudine 1 — 2 ped., coloris flavescentis, badie marmoratus. Habitat imprimis in lacubus Helvetiae.

Jecur ponitur in vitrum et radiis solis exponitur, quomodo oleum guttatim effluit. Euporiston contra nephelia et achlydes corneae est, olim crebro a medicis adhibitum. Ait Plinius: „Omnium piscium fluviatilium marinorumque adeps liquefactus sole admixto melle oculorum claritati plurimum confert.

Axungia s. oleum Asciae. Paratur eliquatione viscerum Salmonis thymalli.

Salmo tymallus L. Coregonus thymallus Oken. Aesche, Franc. l'Ombre. Pisces ossei; Malacopterygii abdominales. Salmo maxilla superiore longiore, radiis pinnae dorsi quatuordecim; coloris nitentis, supra schistocei, subtus albidi. Habitat in fluviis Europae mediae et Sibiriae. Icon. ap. Brandt et Ratzeburg l. c. T. 2. Tab. 5. Fig. 1. Adhibetur oleum a rusticis, uti oleum mustelae, in morbis oculorum bestiarum domesticarum.

Tourlourou-Oel. Assando elicitur e visceribus *Canceris ruriculae* L. s. Gecarcini ruric. Leach. aut secun-

dum Liebig e *Paguro Latrone.* Est fuscum, subrancidum. Aethiopes, qui Senegalis littora incolunt, oleum praeparant eoque contra rheumatismum utuntur. Dimittitur in Franciam, unde innotuit.

II. DISQUISITIONES CHEMICAE.

Elementa propria olei jecoris Aselli saepissime a chemicis investigata sunt. Analyses singulae quod inter se discedunt, non mirandum, quia variae species olei inquirebantur.

Constat oleum jecoris Aselli ex elaino, margarino, plus minusve axungia phocaenica (Delphinfett) substantia quadam resinosa et quantitate Jodi minutissima. Axungia phocaenica si oleum rancidum fit in acidum phocaenicum commutatur.

Omnis adeps piscium et cetaceorum odoris peculiaris insuavis, Glycerylo phocaenico (delphinsaures Glyceryloxyd) adducti est. Glycerylo phocaenico conjunctum est Glycerylum oleosum (ölsaures Glyceryloxyd), a quo disjungi nequit. Utrumque solubile est in alcohole fervido, post refrigerationem vero rursum secernitur.

Oleum cum solutione Cupri sulphurici et natrii muriatici quassatum, tum per pulverem carbonum filtratum inodorum redditur. Davidson idem nactus est quassatione cum decocto corticis quercus, postea addito lacte Calcis et denique admixto acido sulphurico diluto.

Analyses, quas Wurzer et Spaarmann instituerunt, hic omitto ne extra calcem decurram. Posterior statuit:

Stearini	19,00
Elaini	76,5
Substant. ting. et arom.	4,5
	100.

Marder analysin olei jecoris flavi et fusci 1830 instituit et haec reperit:

In oleo flavo.		In oleo fusco.	
Resinae moll. viridis .	0,104	Resin. moll. fusc. . .	0,130
Resin. durae badiae .	0,026	Resin. dur. nigrae .	0,156
Glutinis animalis . . .	0,312	Glutin. anim. . . .	0,936
Acid. oleos. (c. acid. phoc.). . . .	111,813	Acid. oleos. (c. acid. phoc.)	95,000
Acid. margarinici . .	20,625	Acid. magarin. . . .	8,000
Glycerini	16,832	Glycerini	18,000
Materiae tingentis . .	11,500	Mat. ting.	25,000
	161,232		147,222

Marder Jodum non invenit, forsitan quia liquorem calefecit.

Bley et Brandes Jodum deprehenderunt saponificatione olei cum natro aut kali caustico, combustione, elixivatione per aquam, evaporatione solutionis spirituosae, tractatione residui cum hyperoxydo manganico acidoque sulphurico. Praesertim apparuit Jodine, si sapo adustus minus fortiter candefactus erat.

Hopfer de l'Orme et Hausmann simili modo Jodum exhibuerunt.

de Santen nonnulla tentamina fecit fructuosa; adeptus est Jodi gr. $^3/_4$ ex ℥ CCXL fuscescentes, ex ℥ CCCLX fusci, ex ℥ DCCLX flavi olei jecoris Aselli atque ex ℥ CDLXXX adipis Ceti Neofundlandensis. Lardum assum, quod nuper Popkens loco olei j. A. commendavit, secundum experimenta van Santen etiam Jodum continet, fortasse e muria ad condituram adhibita.

Wackenroder oleum Jecoris Aselli album, sed jodum haud reperit. Verum Haenert, pharmacopola apud Buttstadienses, tradidit, e Lipsia oleum aselli album Jodi

magnam quantitatem continens se accepisse, quae res valde dubia.

Ad scrutandum oleum fuscum Wackenroder argento usus est. Triginta grammata olei praebuerunt, 0,018 grm. argenti jodati, et eadem quantitas alius olei praebuit 0,009 grm. arg. jodati, id quod ad I 0,324 %, ad II 0,162 % Jodi dat.

L. Gmelin in permultis olei speciebus nunquam Jodum inveniebat.

de Jongh accuratissime oleum Aselli perscrutatus, hancce analysin promulgavit:

In oleis	fusco	fuscesc.	flavo.
Acidi oleosi una cum Gaduino et duobus corp. haud expert . . .	69,78500	71,75700	74,03300
acidi margarinici	16,44500	15,42100	11,75700
Glycerini	9,71100	9,07300	10,17700
Acidi butyrici	0,15875		0,07436
acidi acetici	0,12506		0,04571
acidi fellinici et cholinici una c. paululo Margarini, Oleini et Bilifulvini	0,29900	0,06200	0,04300
Bilifulvini, acidi bilifellinici cum duabus substantiis peculiaribus	0,87600	0,44500	0,26800
substant. propriae alcohole 30 ° solub.	0,03800	0,01300	0,00600
substant. propriae aqua, alcohole aethere dissolub.	0,00500	0,00200	0,00100
Jodi	0,02950	0,04060	0,03740
Chlori c. vestigiis Bromi	0,08400	0,15880	0,14880
Acidi phosphorici	0,05365	0,07890	0,09135
Acidi sulphurici	0,01010	0,08595	0,07100
Phosphori	0,00754	0,01136	0,02125
Calcariae	0,08170	0,16780	0,15150
Magnesiae	0,00380	0,01230	0,00886
Natri	0,01790	0,06810	0,05540
Ferri	vestigia		
Perti	2,56900	2,60319	3,00943
	100,00000	100,00000	100,00000

Jodum in oleo praesto esse vario modo ostendi potest. Methodi, qua bis ipse usus sum, hic mentionem faciam. Olei Aselli quantum lubet eadem Liquoris kali caustici et sufficiente quantitate aquae communis in balneo Mariae in saponem redigatur, post refrigerationem liquor filtretur aquosus a sapone permolli, qui acido sulphurico fere prorsum saturetur. Liquor stet in loco frigido, donec kali sulphuricum plerumque in crystallos redactum sit; liquor remanens evaporetur ad siccum, residuum candefiat, et pulveratum cum spirit. vini rectificatissimo excoquatur. Liquor tum filtratus iterum evaporetur. Massa remanens salina ad disquisitiones apta est, e. g. cum amylo et acido sulphurico, porro cum amylo et acido muriatico et kali chlorico, denique cum carboreto sulphuris et acido sulphurico, quibus liquor colore violaceo tingitur. — Acidum muriaticum solum et acidum sulphuricum hac cum massa salina amylum violaceum non reddunt, quia ista Jodum modo forma kalii jodati continet; sed simul atque in kalio jodato kali quoque subjodinicum adest, itidem per haec acida jodum evolvitur.

Auctorem hujusce methodi, quam cognovi jamjam septem annis ante, nominare nequeo.

Perdiu commoratus sum circa Jodum, cujus praesentiam in oleo plane supervacaneam habeo. Sed idcirco tam diu morabar, quia id superfluum mihi videtur. Operam dedi, ut demonstrarem, quam exigua ejus quantitas sit. Permulti chemici in magnis olei copiis jodum frustra inquisiverunt. C. G. Mitscherlich, vir ille de materia medica summe meritus, olei libras viginti Jodi granum continere computavit. Nihilominus nonnulli medici adhuc semper olei morrhuae effectum jodo tribuunt, vel inscientia vel pertinacia adducti. Talis contemplatio effectuum medica-

mentorum nec caput nec pedes habet, et nosmet ipsos homoeotherapeutis tradit! Si Jodum solum efficax esset in oleo aselli, gr. j ejus in libris viginti olei papaveris vel olivarum vel, ne nauseosum desit, raparum solutum pari modo ageret.

Bromum diu frustra quaesitum est in oleis Aselli; de Jongh invenit vistigia minutissima, quae quantitative constituere haud potuit; ipsi non contigit, ut Bromum a conjuncto Chloro dispelleret.

De ceteris elementis levibus conferas analyses.

Axungia solida olei jecoris Aselli crystallos praebet albas nitentes subdiaphanas; in saponem redacta Glycerinum praebuit amarum subdulce, paululum acidi phocaenici et 0,889 p. acidorum pinguium.

Spaarmann oleum jecoris Gadi Carbonarii in saponem redegit, e quo separavit:

Acidi margarinici	0,170
Acidi oleosi	0,745
Acid. phocaenici	0,055
Materiae ting. flav. et odorae	0,030
	1,000

De *Gaduino* (C_{35} H_{44} O_8 + H_2 O) conferas de Jongh l. c. Haud est elementum olei, sed procreatur per analysin.

Quo antiquius ol. Aselli fit, eo magis quantitas acidi phocaenici crescit; item oleum fuscum ejus continet, dum oleum album fere omnino liberum ab axungia delphinica et acido phocaenico esse constat.

Phocaeninum, *Delphinfett*, quod Chevreul primus descripsit a. MDCCCXVIII, repertum est una cum elaino et paululo acidi phocaenici in oleo Delphini Phocaenae, nec minus una cum Cetino in oleo Delphini

Globicipitis. Idem phocaeninum postea etiam in oleo jecoris Aselli inventum est et praecipue large in oleo fuscescente et fusco. Est valde liquidum in + 17°, pond. spec. = 0,954, odoris debilis, in aqua non solubile, sed facillime in alcohole fervente; centum partes Kali caustico in saponem redactae praebuerunt acidi phocaenici 32,82, Glycerini 15,00, acidi oleosi 59,00 unde perspiciendum, phocaeninum e Lipylo phocaenico et oleoso (delphinsaurem und oels. Lipyloxyd) compositum; nam Glycerinum = Lipyloxyd + $\dot{H}$; phocaeninum trientem olei adhibiti confecit.

In oleo Aselli rancido Phocaeninum commutatur in acidum phocaenicum, id quod summi momenti videtur esse. Namque constat, oleum vetustius et oleum fuscum, quod jam ab initio subrancidum est, multo efficacius esse quam oleum flavum et recens, quod attinet ad vim therapeuticam.

Acidum phocaenicum (Phocensäure, Phoceninsäure, Delphinsäure), C_{10} H_{14} O_3, observavit Chreveul in oleo jecoris Aselli, oleo Rajae, axungia Ceti atque in similibus, et in baccis Viburni Opuli. Ad parandum acidum sapo olei Aselli acido tartarico copiosius addito decomponitur, ac liquor aquosus tali modo comparatus ab acidis oleosis secretis sejunctus destillationi subjicitur. Destillatus satiatur liquore Barytae carbonicae, unde Baryta phocaenica oritur, e qua cum acidis phosphorico vel sulphurico dilutis tractata acidum phocaenicum + $\dot{H}$ dispellitur, quod rectificatione in balneo Mariae purum accipitur, etsi aquam adhuc continens. Digestione cum Calcaria muriatica liquata aquae expers obtinetur. Basibus sese conjungit.

Dumas demonstravit, acidum Valerianicum idem esse,

quod Chevreul acidum phocaenicum appellaverit. Igitur phocaeninum etiam considerari potest uti Lipylum valerianicum (baldriansaures Lipyloxyd). Acida valerianicum et phocaenicum non solum isomerica, sed etiam omnino eadem sunt.

Nuper acidum phocaenicum (valerianicum) etiam extractione olei alcohole absoluto exhibitum est.

De quantitate Jodi in oleo Rajae Girardin et Preisser analyses comparativas instituerunt. E litra adepti sunt 0,18 Centigr. Kalii jodati, e pari quantitate olei Morrhuae 0,15 Centigr. Insuper certius reddunt, species obscurius coloratas utriusque olei semper summam Jodi quantitatem continere.

Gobley e litra olei Rajae nactus est 0,25 Centigr. Idem phosphori aliquantulum in oleo Rajae ostendit.

III. DE VIRIBUS ET PHYSIOLOGICIS ET THERAPEUTICIS.

Incolae orarum maritimarum Sueciae et Norvegiae oleo jecoris Aselli nutrimento fruuntur. Omnes incolae regionum septentrionalium frigidarum largis alimentis indigent pinguibus ad respirationem adjuvandam atque ad procreandum calorem; terras australes incolentibus nutrimentorum pinguium usus uberior noceret.

Ad cibum modo oleum recens adhibetur, et experientia docet, idem consuetudine omnino non ingratum esse. Digestio non turbatur, nisi animus ab eo alienus est. Efficacitas generalis est ea pinguium remediorum summatim. Oleum Aselli resorberi Knapp nuper demonstravit, qui ex faecibus 4% modo pinguedinis, oleo Aselli insuper plane dissimilis nactus est; pervestigavit

excrementa viri phthisi pulmonali laborantis, qui in diebus CCLII ℥ cdxcviij β olei aselli sumserat. Usu olei jec. Aselli per dies decem intermisso iterum merdam disquisivit et eandem fere quantitatem pinguedinis reperit. Oleo recepto organismus partem ad nutritionem, partim ad respirationem et creationem caloris utitur, qua de re postea amplius disseram; attamen certum est, hinc vim medicaminis ex parte deducendam esse.

Jam Reder animadvertit, vires olei excoquendo parati prorsus dissidere ab illis sole parati, nec minus oleum fuscum in medicina omnino praeferendum esse. Medici Suecici idem confirmant, quare ab iis oleum empyreumaticum adhibetur haud depuratum, ne efficacitatem medicam perdat. Alii medici idem animadvertebant. Girardin et Preisser (l. l.), qui nimirum totum effectum Jodo adscribunt, oleum fuscum et empyreumaticum efficaciora esse non negant. — Equidem, cui ratio de fabulosa potestate, quam punctum geometricum Jodi in oleo habere dicebatur, semper incredibilior videbatur, multos per annos effectum hujus pharmaci observavi in variis morbis, quo modo mihi persuasum est, oleum fuscissimum esse efficacissimum. — Quid, quod homines non eruditi idem cognitum habent? Puer quidam Postampiensis scrophulosus, stabularii aulici filius, perdiu oleo jecoris Aselli fusco usus erat. Exhaustis vero copiis in officina modo oleum flavum emtum erat. Nonnullis igitur hebdomadibus post, dum puer oleum flavum semper sumserat, pater ejus in officinam venit dicens, oleum flavum quidem amoeniorem colorem et saporem minus ingratum habere, tamen oleum fuscum melius fuisse; ex eo enim tempore, quo puer flavum oleum accepisset, sanationem omnino sistere.

Experimenti causa ℥iv olei flavi mane sumsi una cum pane butyrato, quo totum per diem nausea et ructu laborabam. Paucis diebus post iterum uncias quatuor olei fusci empyreumatici eodem modo sumsi, cui etsi interdum ructus, tamen nulla nausea successit. Forsan oleum empyreumaticum et acidum phocaenicum vigiles digestionis erant.

Vestigia Jodi in oleo quidquam coëfficere jam supra negavi. Effectum medicaminum oleosorum et pinguium communem oleo jecoris Aselli deberi, sane verbis refutari nequit. Si autem oleum jecor As. nonnisi idcirco vires medicas evolveret, quia oleum est, oleum papaveris, cannabis, olivarum cet. eandem vim haberet. — Verum certo constat, oleum fuscum non solum summam quantitatem acidi phocaenici continere, sed etiam efficacissimum esse. Itaque censeo: etsi vis olei j. Aselli idoneis nutrimentis conjuncti, nutritionem corporis augendi nec minus respirationem et caloris in corpore procreationem adjuvandi, magni sit aestumanda, nihilominus acidum phocaenicum eam materiam esse, cui efficientia propria medicamenti sit adscribenda.

Quapropter oleum flavum rejiciendum et oleum fuscum solum (una c. empyreum) adhibendum puto.

Si therapeutae opinionem meam dignam arbritrentur, quam in praxi accuratius explorent, studium adferent bonae rei, etiamsi ipsis postea persuadeatur, me syllogismum fallacem protulisse. Sin vero haud plane erravi, oleum Aselli non amplius inter nutrientia et emollientia, sed inter alterantia medicamina locum tenebit. Quare fieri non posse, ut oleum jec. Aselli aliquo modo peculiariter scrophulosi, exanthematibus chronicis, diathesi arthriticae cet. medeatur vel mitiget, intelligere nequeo.

Etenim quum ad id tempus res causaeque adhuc ignotae sint, tamen me judice perspicuum est, id observationibus diligentioribus, quod rem causamque continet, in propatulo poni posse. Equidem auctor sententiae nunquam accuratiorem ejus perscrutationem desinam.

Oleum jecoris Aselli ex initio hujus saeculi in Germania usitatum est. E temporibus antiquissimis medicamentum domesticum in regionibus Rhenanis fuisse dicitur, cujus quidem traditionis argumenta omnino desunt.

Sequantur morbi, qui eodem remedio aut evidente cum utilitate, aut nequidquam impugnati sunt.

1. Scrophulosis et Rhachitis. Hos contra morbos oleum Aselli medicamen summi momenti esse omnino negari non potest. Detur interne una cum remediis idoneis antiscrophulosis externis et internis in omnes scrophuloseos species, aut in ozaenam, aut in ulcera, aut in adenitidem, aut in spinam ventosam, aut in paedarthrocacen etc., seu detur purum in diathesin simplicem: vis medicatrix nunquam non erit cognoscenda. Multa affert ad meliorem nutritionem et ad majorem colorem creandum, id quod non parvi momenti est in scrophulosi. — C. G. Neumann, qui vehementissime cum oleo Aselli stomachatur, talem ejus potestatem non concedit et ait: „Wer aber, ohne ein Eskimo zu sein, den Thran, woher er auch komme, für ein gutes Ernährungsmittel hält, dessen Meinung kann ich nicht beistimmen." Koppium et alios medicos reprehendit, quandoquidem efficacitatem olei aselli in scrophulosin — et recte quidem! — laudabant. Verum vis medicatrix hujus pharmaci in scrophulosin est res, de qua non est litigandum, quippe quam omnes medici experientia edocti non ignorant. Romberg oleum aselli in diathesin scrophulosam omnibus

ceteris pharmacis praefert, id quod huic medicamini auctoritatem dare debet. — Verum equidem credo, oleum non solum nutritionem et calorem adjuvare, sed ejus acidum phocaenic. etiam peculiariter multum valere ad sanationem. Nonne hocce acidum inimicum esse potest scrophulophymati?

2. Arthrocace. Rust commendavit oleum Aselli, ei effectum proprium in morbos coxae adscribens. Attamen in eos modo articulorum morbos majora praestare videtur, qui scrophulosi adducti sunt. Arthrocace plerumque invenitur in hominibus scrophulosis, quibus oleum aselli utilissimum est.

3. Rheumatismus, rheumatalgia, ischias nervosa Contunni, arthritis. Oleum Aselli perdiu euporiston est contra hosce morbos, unde nomen: „Gichtthran". Quid hic prodesse possit, haud intelligo, quia tale medicamentum contraindicatum mihi videtur, quia nutritionem nimis excitat. Fortasse prava sententia de jodi in oleo contenti potestate ingenti hoc remedium in usum induxit. Sunt alii, qui oleum Aselli inter diaphoretica habent; sane error haud levis, nisi omnia remedia et alimenta sint sudorifica. Certe C. G. Neumann non prorsum erat, qui ait (l. c.): „Es wird vom Stockfischleberthran gerühmt, dafs er die Hautfunction vermehre, doch müsse er wenigstens zu vier bis sechs Unzen in einem Tage genommen werden; dann heile er die Gicht, ebenso chronische Rheumatalgien specifisch. Ich habe keine andre Wirkung davon beobachtet als heftigen Ekel; dabei schwitzte der Kranke freilich ebenso wie jeder schwitzt, der eben sich erbrechen will." — Haud dubie abstinendum quidem esse ab oleo Aselli contra hos morbos aestimo.

4. Phthisis pulmonalis. Etiam atque etiam erramus, si phthisin oleo Aselli sanatum iri speramus, sed constat, ejus usu molestias aegrorum leniri; nescimus quidem, quomodo id fiat, namque certum falsum est, remedium agere more emollientium et oleosorum; oleum bronchia et pulmonum vesiculas inungere nequit; ratio effectus mechanici sine dubio inepta. Knapp oleum arbitratur Aselli prodesse eo, quod pulmonibus materia amplior urendo serviens adducatur, cui Buchheim jure repugnat: „Es ist, ait, nur schwer einzusehen, was das vermehrte Brennmaterial in einer Krankheit nützen solle, wo durch die Entartung der Lungen die Respiration unterdrückt ist und wo, wie Hannover nachgewiesen, weniger Kohlensäure gebildet wird als im normalen Zustande." — Tamen utilitas olei Aselli in phthisin pulmonalem nota est; quaeritur ideo, an forte acidum phocaenicum agat more Kreosoti vel spiritus pyroacetici (Aceton), quorum utrumque in singulis casibus bonos fructus afferebat. C. G. Neumann, qui oleum Aselli plane rejici vult, loco laudato valde increpans dicit: „Wenn man vollends hört, dafs bald Lungensucht, bald Herpes durch Thran curirt worden ist, so glaubt man unter die Samojeden gerathen zu sein. Viel eher möchte ich ihn den Hypochondristen empfehlen, denn diesen ist's gut, wenn sie recht tüchtigen Ekel überwinden müssen." Sed judicium unius etsi meritissimi viri experientiam plurimorum medicorum per multos annos non extinguit.

Joanna N., septemdecim annorum, habitus scrophulosi, patre potatore, matre tuberculosa nata, phthisi pulmonali laborans, anno praeterito in nosocomio Gryphindaginensi curabatur. Prognosis erat pessima. Ad expectorationem sublevandam Senega cum Sulphure stibiato-

aurantiaco per breve tempus dabatur; paulo post oleum jecoris Aselli per aliquot menses suppeditabatur, omnibus ceteris pharmacis omissis. Tunc aegra dimitti potuit. Adhuc quidem phthisica mercenaria degit vitam haud miseram; oleum Aselli morbum omnino sistebat.

5. *Exanthemata chronica.* Concedere licet, oleum Aselli interdum nonnullas exanthematum species sanasse, nempe eas, quae vel in solo scrophuloso crescebant, vel nondum vetustiores erant. Si eczema, herpes, impetigo, psoriasis etc. nonnunquam oleo Aselli cedebant, quaerendum est, quid elementum medicum in eo fuerit? Oleum purum interno usu exanthemata profligare nequit; de Jodo in eo contento nihil mihi disserendum, nam homoeotherapeuta (uti dicunt) esse nolo. Nonne re vera his in morbis acido phocaenico vis sanandi adscribi possit?

Insuper oleum Aselli in exanthemata plane est mittendum.

6. *Paralyses.* Sunt, qui putent, oleo Aselli adeo potestatem medicatricem contra paralyses inesse? Prorsum nihil adjuvat. — Ante curam paralysium semper est explorandus morbus generalis, qui sit curandus et quantum fieri poterit sanandus; sed is mehercle nunquam ulla ratione oleum Aselli indicabit (nisi sit e. g. paralysis nervi facialis carie scrophulosa ossis petrosi adducta, aut simil.). Ubi morbus generalis reperiri nequit, indicatio symptomatica oleum Aselli certe nunquam poscet.

7. *Ophthalmiae chronicae* sanari possunt hoc medicamento, si e scrophulosi ortae sunt.

Praeterea in multis hic non memoratis morbis laudatum est et sine ulla utilitate adhibitum oleum aselli. Id quod nefas est, namque aegrotis non prosumus, et famae nocemus alicujus medicaminis utilis, si fallacibus

inducti observationibus panchrestum pronunciamus, qua ratione tantam diffidentiam excitamus medicis minus credulis, ut impendere nolint, ne in eos morbos quidem, in quos aegrotis prodesse potest.

Eodem modo, quo apud nos oleo jecoris Aselli, medici Gallici oleo Rajae utuntur. Vingtrinier, medicus, apud Rouenenses, idem ibi induxit, quo admodum gloriatur. Oleum Rajae odoris et saporis minus ingrati quam oleum Aselli esse dicitur, sed forsan quoque minus efficax.

IV. DE DOSIBUS ET FORMULIS.

Sumant adulti bis terve vel quater per diem (initio mane et vespere) semiunciam usque ad drachmas sex olei puri; infantibus dentur drachmae sesqui ad ℥iij, ita ut uncia semis ad uncias tres usque quotidie consumatur. Ne nausea vel vomitus in sumendo oriatur, aegrotus bibat postea paululum infusi Chamomillae, aut Menthae piperitae, aut Foeniculi, aut aliud. Nonnulli affundunt oleum solutioni sacchari, aut jusculo, aut lacti bubulino. Quae methodi non sunt rei convenientes. Optimum si consumens frustulum panis postea edit, aut oleum una cum cibo quotidiano sumit. Vulgus medicaminum et ciborum usum eodem tempore horret, quod plerumque omnino comprobandum; sed sunt medicamina, quae partim talem praecautionem non poscunt, partim melius una cum coena sumuntur (e. g. arsenicalia). Medici igitur est, hac re aegrum instituere. Oleum jecoris Aselli modicum eodem tempore usum ciborum patitur.

Optime praescribitur oleum purum sine ullo additamento. Aegri, imprimis infantes, ad id mox sic adsuescunt, ut libentissime sumant. Insuper sapor non tam

insuavis est, quam praeparationes ad usum credere nos faciunt. Saepissime nausea et taedium artificiose procreata sunt. Vel aegrotus cogitationem propulsare nequit, medicamen suum „Thran" esse; vel parentes vel medici in culpa sunt, si liberis praesentibus de ingratitudine olei Aselli loquuntur. Praescribit saepe medicus hoc medicamentum simul elata voce dicens: „Wenn's das Kind nur nehmen wird —" et indulgens mater larcymas fere effundens exclamat: „Ah, Thran! den wird das arme Kind nicht nehmen, der ist ja sehr widerlich" etc. Tali modo liberis taedium inseritur, quod consuetudo tandem devincit, remedium haud injucundum reddens.

Sin autem digestio aegrotat et ventriculus oleum Aselli purum omnino non perpetitur, medici est gustum corrigere et digestionem adjuvare. Saepissime nonnullae guttae cujuscunque olei aetherei additae sufficiunt, e. g. ol. menth. piper. Cinnamon., de Cedro, ol. Cort. Aurant. cet. Jam Duncan et Macfarlane affirmabant, saporem olei aselli facillime parva quantitate alicujus olei aetherei involvi. Melius est, si paululum cujusvis elaeosacchari post oleum sumitur.

Nihilominus multa experimenta gustum involvendi fiebant. Crebro emulsio olei jecoris Aselli praescripta est, omni bihorio sumanda, quae plane rejicienda. Namque haec methodus involvendi non sufficit; insuper aegroto omni bihorio ingratus sapor excitatur et praeterea pretium medicaminis maxime augetur.

Berolini multum oleum Aselli sumptibus publicis praescribitur liberis scrophulosis pauperum. Quia notum est, idem crebro nutrimentum lampadum adhiberi, praescriptio existit, secundum quam unciis quatuor olei Aselli additur aquae foeniculi uncia dimidia. Post aliquod tempus aqua

deponitur, oleum purum supra est. Ergo aerario publico modo nocetur, quod intelligent ii, quibus aestimatio legalis medicaminum haud ignota.

Complures methodi praeparandi syrupi olei Aselli prius promulgatae sunt, quarum omnium plurimum placebat Mouchonii, quam hic apponam:

Rp. Gummi arabici
Aquae communis singularum partes L
Olei jecoris Aselli partes C.
M. in patera porcellanea, f. l. a. emulsio, cui adde
Syrupi gummi arabici partes DCCC.
Olei menthae piperitae partes IV.

Oleum menthae piperitae additum hunc syrupum gratiorem reddit. Sed ut ℥j olei Aselli utatur, consumat aeger (o miser!) ℥x syrupi. Insuper hic syrupus modo opulentissimis praescribendus sit, nam talis mixtura non est vilissima, sed calcem Achillis, ubi homines omnes mortales, vehementissime tangit. Cur hic syrupus?

Deschamps saponem proponit e granis DC olei Aselli, granis LXXX Natri caustici et granis XX aquae fontanae paratum, qui non alcalinus est et continuo ad massam pilularum adhiberi potest. Pilulae formantur cum tragacantho, tunc submerguntur melli spisso et pulvere circumvolvuntur. gummi tragacanthae; plane carent odore. Praeterea commendat Deschamps mixturam ex hujus saponis granis XXX, aquae communis granis IV et Kalii jodati gr. IV paratam.

Hic sapo syrupo sane praeferendus et forte ibi applicandus, ubi nimium taedium usum olei puri non permittit.

Alii commendant Cacao tabulatum cum oleo aselli. E fabis Cacao tostis degluptisque exprimitur butyrum, tunc additur aequalis pars olei aselli et sacchari pulve-

rati quantum sufficit, ut fiat succolata, quae solito more cum lacte, aut aqua coquitur. Hoc praeparatum forsitan jure commendandum est iis, quos majoris pretii non piget.

Ure loco olei hepar Morrhuae coctum commendat. Ne oleum inter coctionem evadat, totum jecur quam celerrime submergatur bulliente aqua, sale culinari impraegnata, temperaturae + 104°, ut albumen sese coagulans oleum includat. Hepar coctum et concisum admisceatur pulti Solani tuberosi. Tali modo odor saporque olei prorsum involvuntur. Sed tales epulae nonnisi ora maritima, ubi Morrhua capitur, parandae sunt.

Simplex sigillum veri; itaque equidem censeo, oleum jecoris Aselli purum omnibus mixturis artificiosis et sumptuosis impendio praeferendum.

Operam quidem dedi, ut omnia scriberem, quae bona et utilia de natura et vi olei jecoris Aselli explorata habeo; non nescio autem, libellum meum adhuc perquam mancum esse; attamen spero, me aliquando meliora oblaturum esse. Sint mihi nunc lectores benevoli et lenes judices, sitque mihi deprecator poëta ille inclytus Ovidius:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

VITA.

Natus sum ego, Barnimus Felix Wilhelmi, Sedini a. d. III. Calendas Octobres a. MDCCCXXIII patre Bartholdo Theodoro, praematura mihi morte, proh dolor! erepto, matre Augusta e gente Ziesemer, qua adhuc gaudeo superstite. Confessioni evangelicae addictus sum. Annos quinque natus in scholam orphanotrophei francogallici missus sum, quam per duos annos frequentavi. Exinde primis litterarum elementis imbutus scholam Mehringianam per duos annos cum dimidio adii. Tum in Gymnasii Palatini Sedinensis ordinem quintum superiorem

receptus sum, quod tunc clarissimo directore Hasselbach florebat et etiamnunc floret. Mense Julio a. MDCCCXXXVI e quarto hujus instituti ordine superiore discessi et Neukirchenium me contuli, qui pagus est apud Labes, oppidulum Pomeraniae ulterioris, situs, ubi per annum et quadrantem fructus sum omni doctrinarum necessariarum genere duce Karovio, pastore loci dignissimo doctissimoque. Tum consecratione in pagi illius ecclesia accepta, per sex annos et dimidium pharmacopoeus eram in officinis Gryphindaginensi, aulicis Postampiensi et Pankoviensi, deinde in Berolinensi, denique in Czarnkoviensi. Postea pharmacia me abdicavi et in patriam festinavi, ubi semestre in litteris consumsi.

Initio mensis Octobris a. MDCCCXLIV Berolinum me contuli, ubi me Ill. Lachmann, t. t. rector magnificus, in numerum civium academicorum recepit et Ill. Dieterici, t. t. decanus spectatissimus philosophiae studiosis adscripsit. Anno post testimonium maturitatis adeptus transii ad facultatem medicam et ab Ill. Hecker, t. t. decano spectatissimo, in album medicum relatus sum.

Per quadriennium has scholas adii:

Ill. Ritter de geographia universali; Cel. Geppert de Plauti curculione; Ill. Toelken de Horatii arte poëtica; Ill. Gabler de logice et metaphysice; Exp. Helffrich de psychologia et anthropologia; Ill. Link de historia naturali, de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Cel. Erichson de entozois; Ill. Weifs de mineralogia; Ill. E. Mitscherlich de chemia; Ill. Dove de physice experimentali, de meteorologia et climatologia; Ill. Mueller de anatomia universali, de anatomia organorum sensuum; Ill. Schlemm de syndesmologia, quorum uterque in cadaveribus quoque dissecandis dux mihi fuit; Ill. Schultz de physiologia, de homoeopathia et alloeopathia, de pathologia plantarum; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de historia medicinae; Cel. Ideler de diaetetice, de cognoscendis et curandis morbis animi; Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, de cholera Asiatica; Cel. Eck de physiologia generali, de morbis contagiosis; Cel. Boehm de chirurgia et ophthalmiatrice, de aciurgia, qui simul dux mihi fuit in operationibus in corporibus mortuis factitandis; Exp. Schoeller de arte obstetricia, adjunctis institutionibus ad operationes obstetricias

per duo semestria; Exp. Simon de pathologia et therapia morborum cutis; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Ill. Casper de medicina forensi; Exp. Nicolai de politia medica.

Praeterea exercitationibus clinicis, et auscultando et practicando, interfui medicis Ill. Romberg per duo semestria; Ill. Schoenlein, Cel. Wolff per semestre; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken per duo semestria; aciurgicis Beat. Dieffenbach et Exp. Angelstein; psychiatricis Cel. Ideler; obstetriciis Ill. Busch; medicoforensibus Ill. Casper per semestre; diagnosticae chirurgicae Cel. Boehm per tria semestria.

Privatissime dux mihi erat Doctiss. Traube in auscultatione et percussione.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam maximas possum gratias ago et semper habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medicis, atque examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Camphora minime sedat, nec est omnino antaphrodisiacum.
2. Accumulatio synonymorum in nomenclatura historiae naturalis impedimentum studii hujusce scientiae.
3. Inter naturales et artificiales aquas minerales magnum discrimen haud intercedit.
4. Crebrior usus decocti Zittmanni evitandus.
5. Decoctum Zittmanni plane liberum ab Hydrargyro.
6. Ulcus syphiliticum recens morbus modo topicus.
7. Forceps obstetricia haud fenestrata fenestratae praeferenda.
8. Polypharmacia amplum imperitiae materiae medicae pallium.